# QUÆSTIO MEDICA,

## QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS

MANE DISCUTIENDA

## IN SCHOLIS MEDICORUM,

Die Jovis duodecimâ Novembris 1705.

## M. JOANNE-BAPTISTA FERMELHUIS,

DOCTORE MEDICO,

PRÆSIDE.

*An Hydropicis corroborantia frequentiùs quàm evacuantia sunt præscribenda?*

I.

COGNITIO cujuslibet morbi multis obstructa est difficultatibus. Tot sunt ænigmata quot naturæ verba. Signa quibus alloquitur variis interpretationibus sunt obnoxia; & nonnisi sui studiosis, iisque tantummodò, qui diuturnâ consuetudine cum ipsâ conjuncti sunt, se patefacit. Sapientissimo interroganti, responsum non recusat. Sed cum simplicissima sit, simpliciter est investiganda. Ejus idioma ambiguum tibi videtur? Quæ tibi profert simul conferas; ad rerum seriem diligenter attendas, illam intelliges, illiusque penetralia explicabis. Ne Symptoma habeas pro ipso morbo, vel diversas species confundas. A perspicuiori morbi signô ad occultam tibi causam evoluendam gradatim procede: Illud enim signum morbi genus evidenter tibi demons-

138



trabit si ad eamdem notionem omnia simul conspirent. Ut enim oratio suas habet partes, quæ ideam cogitantis exprimunt, pluribus annexis conditionibus declaratur infirmitas. Diversi occurrunt tibi, quorum venter supra modum tumet, qui à te remedia efflagitant: Ne eos omnes Hydropicos existimes, licet à ventris tumore, ut plurimùm conjiciatur Hydrops. Illos sigillatim perlustra. Istius si amplissimam abdominis molem manu exploraveris, eum scirrhô affectum judicabis; nàm adest & durities & renitentia. Vis autem Hydropicum apertiùs cognoscere? In hunc oculos conjicias. Venter ejus pariter intumescit, sed mollior: Per latera compressus, fluctuationis sensum manifestum repræsentat: dum ipse sese in alterutrum latus convertit, murmur velut fluctuantis aquæ percipit, tùm universa ventris moles in latus provoluitur: Hinc pedes & scrotum turgescunt, partes verò superiores graciliores evadunt & contabescunt: Liquidum haurit oculis, nec sitim explere potis est, quæ omnia *Ascitem* declarant. Sed sub aliâ specie Hydrops tibi etiam apparebit. hunc enim pallescentem & anhelantem aspice: Non solùm venter ejus crura & tibiæ, sed præterea manus, brachia, pectus, totumque corpus inflatur, operosè incedit, & ita carnes ejus molles & laxæ, ut ubicumque digitô prematur, vestigium relinquit; Ille *Anasarcâ* laborare existimatur. Alteram speciem Hydropis ignoras, in quâ venter durus distenditur, necdùm se convertit æger, ad latera devoluitur, hanc formosam, concimamque mulierem consule. Queritur quod tali morbô afficiatur. Cave tamen ne sermone illius decipiaris: Sicut enim fallere venustas, mentiri solet fœmina. Vide quàm tumet ejus venter; at vividô colore decorantur genæ, ubera solitò turgidiora superbè extuberant: De morbi occasione interrogatâ, titubanti respondet animô, nec tempus recordatur, simulat, pugnantia loquitur: aspectum tuum conniventes fugiunt ejus oculi, & fluctuans vultus rubor inter metum & pudorem luctam arguit. Reverà tamen ægrotat & valet. Nauseam, cibi fastidium & pondus in parte Hypogastrii inferiore patitur: Non fluunt menses; at cæteræ constant functiones. De virginitate suâ gloriatur, & prægnans est. Tu quoque vicissim finge & ex signis vel ipsô partu, nunquàm verò ex illius ore tibi nuda emerget veritas. Illius vicem doleas, suprema remedia, malleoli venæ sectionem, balnea, denique omnia quæ ex utero corpus extraneum expellere valent, pollicearis; artem tuam laudabit; liberiùsque spiritum ducet. Ventrem ejus deinde percutias, sonum non edet; uterus circumscribitur, tùnc illam citissimè abs te procul dimitte, nec minimum quidem Pharmacum præscribas, ne, quorum ipsa fecerit periculum, illa tibi tribuat. Si tamen se uteri Hydrope laborare asserat, ne rideas, sed attentè rem circumspicias. Præter prædictas Hydropis species, aliæ numerantur particulares, quæ suis propriis signis innotescunt. Ubicumque enim aqua, flatus, vel humor concretus intercutem stagnaverit, Hydropem denotat. Si igitur in caput, pectus, scrotum, uterum depluant & stabulentur, *pectoris* vel *uteri* Hydrops, *Hydrocele* & *Hydrocephalon* fiunt. Sunt autem hæc pulmonum Hydropis signa. Febris & tussis tenet, acervatim respirat & pedes tument & ungues contrahuntur & patiuntur talia qualia is qui suppuratus est, sed debiliùs & diuturniùs, & si quid infundas, aut fotum aut suffitum adhibeas, pus non sequitur. Hydropem verò *uteri* à graviditate præsertim secernes in eo quod in graviditate tumor non est ita æqualis ac depressus, sed acuminatus & fastigium atque eminentiam quamdam circa umbilicum præ-

Hipp. p. 41. lib. 2. de Morbis.

ſeferens. Mulieres gravidæ poſt aliquot menſes meliùs ſe habent, mammæ intumeſcunt, & multa alia. Aliarum ſpecierum apud Autores deſcriptiones repete. At quamvis morbus iſte primò intuitu nihil aliud præter collectionem aquæ vel alterius materiæ tibi videatur, putaſne illum ſolâ evacuatione curari? aberras. Natura & Ars ipſa tibi aliam viam demonſtrant. Diabetes quæ *Hydrops ad matulam* nuncupatur, jugiter aquas effundit, nec deſinit effundere donec natura firmior evadat. Paracenteſi exhauſtum abdomen paucis poſtea diebus iterùm intumeſcit. Itaque altiùs cauſa morbi ſcrutanda eſt & ad alia confugiendum remedia. Ego verò conjicio corroborantia frequentiùs quàm evacuantia Hydropicis præſcribenda eſſe, ſi Hydrops à fluidorum & ſolidorum imbecillitate præſertim oriatur.

II.

MEDICUS naturæ miniſter & adjutor, ſummi Opificis artem ita imitatur, ut Hippocrates Medicum Philoſophum Deo æqualem exiſtimare auſus fuerit. Quodnam enim præſtantius donum homines à cœlo efflagitare poſſunt, quam ut infirmæ & obrutæ naturæ vires erigant? Tanta autem facultas rerum omnium naturalium intelligentiâ nititur; nec ulla eſt ſcientia vel ars à quibus Medicina lumen non mutuetur. At quid prodeſt nobis divina illa induſtria, ſi natura ſibimetipſi ſufficiat & ſola omnia operetur & perficiat? Ex illius fontibus haurimus artem illam de quâ gloriamur, quamque ſuis numeris completam poſſidet. An alieno auxiliô indiget ut alimenta in ſubſtantiam noſtram convertat & purum ab impuro ſegreget? Cuique corporis parti, quod aptum eſt diſtribuit & virtute quadam à Deo inſitâ aſſimilat. Quis verò infinitos penè anfractus per quos tot diverſos liquores, quibus turget, largitur, ejuſque intima penetralia unquam aperuit? Ex ſeipsâ viget, omnia moderatur & ad bonum finem ſemper ſpectat. Nonne ipſa è variis alimentorum ſpeciebus, ſaluberrimum illum & univerſalem cibum in ore & ventriculo conficit; à fæcibus in inteſtinis & meſenterio ſecernit, antequam venas lacteas primas & ſecundarias ſubeat? Quis illam imitari poteſt cum ex chylo in mare ſanguinis effuſo tot ſpecies educit, quæ ſub unicâ latitabant involutæ. Vis animô comprehendere quô pactô è chylo ſolvantur, multiplices liquores ſanguinem ſervatâ quadam proportione & harmoniâ ſimul componentes, tanquam naturæ agentia habeas, qui vires ſuas in chylum exerunt & confuſa omnia diſcriminant. Nam unuſquiſque illorum ſui juris factus & ab alienâ ſpecie ſecretus, caloris ope cum parte Chyli ſibi homogeneâ permiſcetur. Spiritus ſanguinis cum Chyli tenuioribus partibus, craſſa cum craſſis coeunt: Sulphurea pars, oleoſam & pinguem pervadit & ſolvit; deinde ſalia ſalibus ejuſdem in dolis ſolutis adhærent: Chyli humidum in ſanguinis aquam immergitur: quod ſuperfluum & confuſum ſupereſt, per diverſa loca & ſub variis formis foràs eliminatur, dùm perenni & indefeſsô motu ſenſim ſine ſenſu multis naturæ operationibus magis magiſque ſecernuntur, attenuantur & diſcutiuntur, in ſe invicem jugiter agentes, per diverſa cola è ſanguine erumpentes & per alias vias iterùm atque iterùm redeuntes, ut univerſum corpus irrigare, nutrire, fovere & movere valeant. Hæc eſt vera Chyli in ſanguinem mutatio, corporis nutritio, origo caloris, quô vita fovetur & ſervatur. Si præterea eam deficientem ſuſpicamur, & illi remediô quôdam opem ferre moliamur, illud ſibimetipſi vindicat, & eô ad propriam uti-

litatem opportunè utitur. Quâ verò facultate hæc omnia peragantur, quis nostrûm percepit, aut nomen Medici meritò sibi arrogare potest? Ille est qui has omnes naturæ operationes altè consideraverit: Qui morborum principia & occasiones, seriem & finem callet: Qui remediorum experientiâ nititur & illorum vires cognovit; qui naturæ ipsius in debellandis infirmitatibus conatus imitatur, ut tutiùs, citiùs & jucundiùs ab eis solvatur; tandem qui acri ingeniô res ita disponit, ut actus naturæ juventur, nec intempestivis motibus infirmet. Vegetior quidem natura levi de causâ labefactari potest cùm sit multis necessitatibus & præsertim alimentis, obnoxia. Licet verò multa nobis desint ut ejus mysteria perfectè perspiciamus, sufficiunt nobis signa quibus illam tali morbô teneri percipere valeamus. Illa autem vel virium exinanitione, vel materiæ profluentiâ patitur. Alimentorum penuriâ, vehementissimis exercitationibus, animi pathematis, venere immoderatâ, aurâ voraci, alvi vel sanguinis diuturniori profluviô, multisque aliis exhauritur; unde tot diversæ oriuntur functionum perturbationes & infirmitates, quæ suis Symptomatibus declarantur, è quibus non recreatur, nisi pro variis causis, quibus laborat, illam opportunè robores. Pari etiam ratione exoneranda est pro naturâ exuperantis excrementi & partis quæ illô cumulatur: Ars enim illa, est adjectio deficientium, detractio verò redundantium. Quamobrem maximam requirit prudentiam & cautionem in adhibendis naturæ languenti remediis. Cùm verò quâcumque de causâ ægrotet, morbus sit in genere actus naturæ ad liberandum se à re noxiâ, animadvertendum est nùm sit potiùs roboranda quàm evacuanda. Etenim si imbecillior evadat, licet cacochymiâ producatur morbus, vix prosunt purgantia nisi vires resarciantur, ut in Hydrope, quem nimia ejectio sæpissime accrescit, & si quædam existat Medicina universalis, illa est quæ naturæ integritatem conservat aut restituere potest, ut quæcumque sint agenda, sola operetur. Verùm enim verò dùm ipsa viget omnia exactè peraguntur, è contrà imbecillâ & enervatâ, omnes ejus actus infringuntur, ordo perturbatur & tumultuosè agit, nec facilè tùnc temporis ejectionibus sedari potest. Itaque in morâ & expectatione salus tutiùs reponitur, donec ipsa vicerit; diætâ sæpè sæpius illi conducit quàm Pharmacum, & roborans quàm evacuans, nisi materia superflua in vasis excretoriis diutiùs inhæreat.

III.

SI ad occasiones & symptomata quæ Hydropem comitantur, attendamus, hunc morbum à solidorum & fluidorum imbecillitate derivari exploratum habebimus. *Licet collectionem aquarum intercutem*, à serô, flatibus, vel pituitâ, *aut tumorem abdominis audiat Hydrops, communis tamen omnium est humoris nimia abundantia, ob quam nè ulcera quidem in his ægris facilè sanescunt.* Quamobrem omnes corporis partes Hydropi sunt obnoxiæ, unde species multiplices quas superiùs recensuimus. Teste enim Hipp. *ubi unaquaque parte plus quàm par sit aut continere possit, affuerit, altera adalteram transmittit...... ex eo verò semper Hydrops subsequitur.* Nulla autem pars plus quàm sibi par est humoris continet, nisi viæ quibus exonerari solet, obstruantur aut elater ejus infirmetur. Liquor quô nimis turget in excrementum evadit, quia commixtus est & motu privatur. Si dùm in aliquâ parte cumulatur, naturæ operationibus aliquandiù non noceat, ab ipsâ ibi quietum relinquitur: At si actibus illius obstet, statim illud novis aggreditur conatibus, ut partem cui adhæret, ab illo expediat, & tunc corpus laborare, &

Cels. l. 3. c. 21.

De Morbis mul. S. V.

ægrotare incipit. Materiam igitur, quæ quiete fermentôque cogebatur, ſolvit, & ſi illam foràs eliminare non poteſt, in partem ( ut loquitur H pp. ) *inanem* effundit ; quâ de causâ frequentior abdominis tumor in Hydrope contingit, unde illa ſpecies primum locum tenet & ad illam cæteræ referuntur & nomen mutuantur. Itaque ex vitio tùm omnium corporis partium , cùm liquorum imbecillitate naſcitur Hydrops, & ab unâ in aliam partem aquas demandari perſpicuum eſt. Tument pedes & crura dùm æger ſtat vel ambulat, & pondus omne in illas ruit partes. Quod ſi lectum petat, poſt aliquas horas, in ventrem redundant humores & inferiores partes vacuas relinquunt , iterùmque ad pedes & crura revertuntur. Non ergo tantæ labis ſoli ſunt rei Hepar & lien , ut multi contendunt : Sed præſertim infirmæ & depravatæ hæmatoſi error tribuendus eſt. Si aquas in principio hujus morbi paracenteſi eduxeris, eas limpidas ferè ſemper hauries, & ſub ſpecie lymphæ apparebunt ; at ſi perſeveraverit Hydrops & aliis partibus cacochymia ſe communicaverit, liquor mixtus effundetur ex variis coloribus, ſaporibus & odoribus conflatus ; nam ſucci diverſi ſimul è variis fontibus confluent, & plures conſpirabunt cauſæ , quæ tamen ùnicâ amplectentur. Humores in abdomine coadunati, lapſu temporis, mutuô in ſe invicem motu agentes, fermenteſcunt , flatuſque erumpunt & fœces ſegregantur , quæ ita concreſcunt,ut paracenteſi vel purgantibus vix poſſint evacuari. Ita eò inſanabilior, quò major numerus viſcerum quæ illi materiam ſuppeditant. Quod ſi fœces illæ vel ipſemet liquor ignem corruptionis conceperint , febris accenditur & exacerbantur Symptomata. Hepar ſemper in Hydrope debilitari fatemur, quia ibi ex omnibus corporis partibus diverſi concurrunt ſucci per ampliſſima vaſa, ſanguinis ſcilicet multis aliis prægnantis, lymphæ, biliſque magna ubertas, qui, ſi impuri, procul dubiò Jecur afficiunt & ne munus ſuum obeat, impediunt. Poteſt etiam ut cætera viſcera, nempe ſcirrhô, inflammatione, abceſſu & ulcere laborare & Hydropem producere. At tot malorum origo in ſanguine latitat & à virium imminutione procedit. Dùm ſibi conſtat natura, nullum excrementum,niſi ſuis functionibus accommodatum, ſuperſtat, jugiter per diverſos meatus emanans. Si quoddam relinquatur inutile, vel quia ſanguis parte ſuâ ſubtiliori exhauritur, obſtruuntur viæ, partium elatera labefactantur, vel ciborum copiâ obruuntur ſpiritus. At major exurgit difficultas in demonſtrandis viis quibus humor in abdomine vel in aliâ parte collectus, à vaſis excretoriis declinando, aberraverit. Nam ſi aliquandò per vaſa eroſa irruat in partes illas *inanes*, conſtat etiam ſæpiſſimè divagari abſque ullâ canalium fractione, ut probatur jam allatâ experientiâ tranſitûs materiæ effuſæ è pedibus in abdomen, & ex abdomine in pedes in ſitu corporis diversô : Propterea exonerantur vaſa, dùm carnes intumeſcunt. Aquæ in capacitate abdominis ſtagnantes per alvum & veſicam rapiuntur, & ita verum eſt ut à viâ rectâ declinent , ut ferè omnes imminuantur ejectiones, quæ omnia, nì fallor, indicant liquores illos texturam partium ſubire, quarum fibræ relaxantur, & ſalſedine liquorum effinguntur : Quamobrem vehementiora aut frequentiora carharctica & diuretica collecti humoris volumen adaugent, ex doctrinâ tùm Hippocratis, cùm Paracelſi. Serum quô abdomen vel alia pars cumulatur, ſalſedinem ita adeptum eſt, ut dùm reſolutum ſal è viſcosâ illuvie emergit, carnes exulceret. Naturam illius ad tartarum aluminoſum reſolutum referunt, quod aliquandiù glutinosâ indui-

42



tur materiâ, quæ ab ipsius acore partes deffendit. Resolvitur verò sal illud in vasis sanguineis antequam ab eis excidat, & deinde evolvitur. Itaque à salsedine præsertim sanguinis oritur Hydrops, & cum ipse sit vera salis colliquatio, naturæ imbecillitatem arguit. Sal enim, inquit Paracelsus, corpus præservat à putredine, à fœtore & dissolutione, est balsamum quod corporis mumiam custodit. P. 622.

IV.

JAM habes Hydropis historiam, præcipuarumque illius specierum signa & discrimina. Causam ejus proximam & remotam enucleasti, ita ut primô intuitu, ut ita dicam, tàm gravem morbum sub unaquaque formâ appareat, internoscere possis. Attamen à fluidorum & solidorum imbecillitate Hydropem nasci, adhuc dubitas? Prædicta argumenta tibi nondùm fecerunt satis? illa evidentiora tibi videbuntur si nitantur experientiâ. Ipsamet quatuor principiis fulcitur; nempe Hydropis occasionibus, Symptomatibus, remediis, quibus aut debellatur aut exacerbatur, sive fortunâ vel arte præscripta fuerint; tandem exitu naturali, cùm propriô marte firmior, robustiorque evadit natura. Morbus iste vix unquam sponte suâ oritur, nisi in debiliori corporis constitutione; sed febrem quartanam, hæmorrhagiam, frequentiores venæ sectiones, diuturnos alvi fluxus, catharcticorum vehementiorum labem, stupra, compotationes, longasque infirmitates, nimios labores, vigilias, inediam, frigidiora balnea, catharrum, Phtisim, Asthma, ictericiam, luem veneream, scorbutum & quæcumque naturam debilitare aut vires infringere solent, ut plurimùm consequitur. Si ejus Symptomata circumspexeris, prostratam naturam pariter tibi declarabunt. Abdomen intumescit & pondus intolerabile sustinet: membra madent; crura præpediuntur: ventriculus imbecillis, alimenta coquendo, & commoliendo, laborat; alvus ferè semper adstringitur, urinæ non libenter fluunt, adest tussis molesta & respiratio difficilis; marcescit corpus; flatibus devastantur viscera omnia; dolores patiuntur; obruuntur spiritus; siti ardentissimâ & febre aduruntur Hydropici: Liquores sanguinem componentes à se invicem recedunt, illorumque concentus perturbatur: Hepar muriâ quadam induratur & siccius evadit: Mesenterii glandulæ obstruuntur & intumescunt, occalescit cutis, tandem humorum depravatione exulceratur & eroditur, quæ imbecillitatem tùm fluidorum, cùm solidorum, salisque resolutionem significare contendimus, à quâ vera & genuina Hydropis origo, quâ fluida omnia infirmantur & solvuntur partes, suô nimirum sale privatæ. Insolenter verò, caròque contingit ut catharctica vehementissima, Paracentesis, & diuretica Hydropem solvant, quamvis aliquando quidam Hydropici meri aut aquæ vitæ desideriô flagrantes, post largam eorum compotationem ex improvisò collectas omnes aquas effuderint & sanati fuerint. At non prodest tanta vini exuperantia nisi iis, qui aut egestate & ciborum penuriâ in hunc morbum delabuntur, vel qui in locis subterraneis, frigidis & humidis diutissimè degerunt, aut qui multô labore & mœstitiâ insudarunt. Imò verò in Hydrope, eò major aquarum profluentia, quò purgantibus fortioribus copia eliminatur: magis intumescunt Hydropici, & graviora fiunt illorum Symptomata. Nam dùm catharctica & diuretica aquas ex abdomine educunt, novas ex sanguine rapiunt, quas in abdomen exonerant; quâ de causâ exhauriuntur vasa, vires imminuuntur & deficit æger. Nonnisi

Pseudomedici aut Empirici hanc culpam committunt, qui corticem ultrà naturam non intuentur. Ab ipsâ igitur erudiantur qui illam imitari desiderant, & eos qui spontè sanantur accuratè explorent. Illos autem tantùmmodo spontè sanari existimo, si quidam sanantur, qui diætâ absque ullô remediô curantur, quales sunt servi & pauperes. Illis faciliùs *tollitur Hydrops, quàm liberis, quia cum desiderant famem, sitim, mille alia tædia, longamque patientiam, promptiùs his succurritur, qui facilè coguntur quam quibus inutilis est libertas.* Cels. Quibus argumentari potest, nulla alimenta assumenda esse, quæ naturæ vires superent, quia imbecillis est & dejecta. *Qui enim benè non concoquunt & naturaliter non excernunt, & minorem urinæ copiam quam assumunt, non fundunt & venter quotidie augetur, nonobstantibus remediis, res in angusto est & moriuntur.* Balsamô quidem suô privatur sanguis, & chylus in aquam evadit; quia vera agentia quæ in tot partes optimum sanguinem componunt, debiliora sunt ut ex chylo illas educere valeant.

V.

Si Medicina practica actus suos ad experimenta dirigere debet, studio eorum omnium quæ Hydropicos curare valent, diligenter incumbat qui hunc morbum debellare conatur. Præterea cùm sit ægrotantium instabilis status, & eadem in omnibus non contingant Symptomata, prudenter remedia illa jam probata ita disponat, ut pro necessitate opportunè eis utatur. Eadem enim Methodus semper non est observanda. Urgentioribus tamen in primis succurrat. Ex probatis verò remediis & ab eorum effectibus, quale sit in unoquoque ægrotante vitium à quo procedat infirmitas, auguretur, ut in aliis præscribendis majorem adhibeat cautionem. Deinde audacter, sed sagaciter, quæ optima existimantur & probaverit ipse, periclitetur, vel ex illis nova componat quæ tutiùs ægrotum è morbo expediant, si sit sanabilis. Confidentiùs enim Autorum præscriptionibus non adhæreas, sed secundùm illorum mentem agas & ordine procedas. Non desunt nobis multiplices formulæ & remediorum præparationes tùm apud Galenistas cùm apud Chymicos. Ex illis etiam depromuntur illa quæ sub insignibus & speciosis nominibus plurimì, sed insidiosè venduntur. Hæc autem vulgò proponuntur. Omnes plantæ *diureticæ & diaphoreticæ, Camphorata, salsa, China, guaiacum; flores Genistæ & calthæ radicis, sambuci cortex, helleborus, & aliæ omnes antiscorbuticæ, aromaticæ, & amaræ*: Variæ *Mercurii, Martis; Antimonii* & *salium* præparationes, *tinctura corallorum*, essentiæ *metallicæ* diversis nominibus insignitæ, *lilium*, essentia *Mercurialis, Jovis, salinæ* etiam *aromaticæ, oleosæ* & *diaphoreticæ.* Ex sulphuris floribus, Myrrhâ, radice angelicæ, zedoariæ, speciebus diambræ, sale absynthidis & tartari quidam pharmacum componunt, quod plurimùm prædicant. Alii oleum salis cum sulphuris floribus per Retortam lac quoddam distillant: Alii verò vina medicata chalybeata, aromatica, & purgantia parant ex absynthide centauriô minore, baccis Juniperi, Cinnamomô, & multis aliis. At frustrà inter illa specificum quoddam odoratur, qui illud gloriatur possidere aut insidiosus aut ignarus est. Debet enim pro morbi conditionibus & verâ illius causâ assumi. Attendas igitur ad occasiones morbi, illius status, partis affectæ, & speciei Hydropis rationem habeas. Nam si in educendis aquis semper insudaveris, tempus & oleum perdes, illarumque major fiet proventus. Tres sunt in genere hujus morbi species, *Ascites*, ut diximus, *Ana-*

*ſarca*, & *Tympanites*. Curatio *aſcitis* præſertim verſatur in iis quæ ſerum exſiccant, effundunt, & vires corroborant; rarò tamen ſudorifera, ſalſa nimis & acuta admittit, quæ *Anaſarcæ* conveniunt. *Tympanites* autem ea quæ exſiccant ſæpiſſimè recuſat. Ar nihil proficies niſi ad cauſam & occaſionem reſpectum habeas. Si *luis Venereæ* aut *ſcorbuti* Hydrops ſit proles, non ſanabitur niſi luem Veneream extinguentibus vel antiſcorbuticis. Si à ſuppreſſione menſium aut hæmorrhoidum, vel à nimiâ repletione procedat, in principio ſaltem venæ ſectio celebrari debet: Si ab aurâ frigidiori aut humidô vapore, ut iis contingit, qui ſub dio pernoctarunt, naſcatur, ſanguinis miſſionem præſcribas & ſudores moveas: Qui cibo & vino nimis indulſerunt, vacuantibus & inediâ curentur: imò inediâ laborantes, diætâ tutiùs ſanabis: Qui in hunc morbum aſthmatis pondere aut catharrò rapiuntur, illis præſcribenda ſunt remedia quæ materiam aſthmatis educunt aut catharrum moderantur; at ſemper corroborantia permiſceri debent cum cæteris remediis. Vires verò imbecillioris naturæ eriguntur vel excrementa ejiciendo, vel partium obſtructiones ſolvendo, ſicciora humectando, calidiora refrigerando, fermenta obtundendo, ſpiritus recreando: Nam in medio ſtatu & perfecto concentu viget natura. Itaque indicationes hujus morbi accuratè ſumantur. Ortum ducit à vitiô nutritionis & partium liquorumque imbecillitate: Depauperantur aut obruuntur ſpiritus, ſanguis ſuô privatur balſamô, nempe ſale radicali quod partim ſalrem eſt reſolutum: Serum acore & viſcosâ illuvie inficitur; viſcera & meatus ordinarii obſtruuntur; debilitantur omnes motus, artus enervantur; partes ferè omnes munera ſua non obeunt: Quamobrem magna excrementorum copia colligitur; adeſt Maraſmus, exhauriuntur & dilacerantur vaſa, tandem illorum textura relaxatur.

*Ergò Hydropicis frequentiùs corroborantia quàm evacuantia præſcribenda ſunt.*

Domini Doctores diſputaturi.

| | | |
|---|---|---|
| *M. Alexius Littre, Regiæ ſcientiarum Academiæ Socius.* | *M. Petrus Marais.* | *M. Franciſcus Goüel.* |
| *M. Joannes Burette.* | *M. Carolus Contugi.* | *M. Nicolaus Brunel de la Carliere, Medicus Regis ordinarius.* |
| *M. Ludovicus de Vaux.* | *M. Franciſcus Vernage, Academiæ Cenſor.* | *M. Bertinus Dieuxivoye, Antiquior Scholæ Magiſter.* |

Proponebat Pariſiis CLAUDIUS DU CERF, Pariſinus Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1705.

Apud Viduam Franciſci Muguet, Regis & Facultatis Medicinæ Typog.